TENTAMEN MEDICUM, INAUGURALE, DE TYPHO.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

SAMUEL MARTINUS STEPHENSON,

HIBERNUS.

Prid. Id. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXVI.

MUNDITIARUM

ET

VINI FAUTORIBUS.

TENTAMEN MEDICUM,

INAUGURALE,

DE

TYPHO.

CONVENIT inter eos, qui medicinam latiſſime excoluerunt, dimidium gentis humanae febribus abripi; horumque maximam partem, praeſertim in his regionibus, a typho vitam amiſiſſe. Per claſſes exercituſque graſſatur, nec minus carceres et noſocomia infeſtat. Periculum, a corporibus hocce morbo correptis, et ſqualidorum veſtimentis, nobis imminet. Nunc effluvia iis exhalita, tantis viribus quandoque pollent, ut vitam animalem puncto temporis extinguant;

nunc tam debilia ſunt, ut miſeri aegroti longo tardoque morbo langueſcant.

Etſi res adhuc tenebris quaſi involuta manet, et ſaepe medelam difficillime admittit; attamen conatus inveſtigandi et indagandi hujus morbi ſymptomata, cauſas, methodum medendi, et ei occurrendi, nos culpa levabit, quamquam tentamen hoc quibuſdam erroribus et mendis inſpergeretur.

HISTORIA MORBI.

Obrepit hic morbus veſpere, ſenſatione frigoris; quam ſubiti, obſcuri, et inconſtantes horrores, calore alternantes, ſubſequuntur. Somnus vigiliis interrumpitur, et inſomniis minime jucundis perturbatur. Remiſſione mane conſolatur homo; at ſymptomata omnia eadem, majori impetu, nocte ſubſequenti recurrunt. Debilitate et laſſitudine inuſitata, praeſertim poſt motum, aeger afficitur; haud aliter ac fatigatus langueſcit. Occupationes uſitatas fugit; et ſolitudinem quaerit.

quaerit. Inappetentia et cibi averſatione affligitur. Accedunt etiam nauſea et vomitus, vertigo et dolor capitis.

Paucis diebus elapſis, omnia ſymptomata intenduntur. *Vultus* palleſcit et langueſcit; attamen tantum ſenſuum acumen eſt, ut lux et ſtrepitus moleſte tolerentur. Sed progreſſu morbi, ſenſuum hebetatio ſaepe talis eſt, ut vix ullus aut ſonus, aut lux percipiantur.

Lingua a ſtatu ſano parum mutatur; niſi quod albo et viſcido muco, nunc fuſcum nunc atrum aſſumenti colorem, obducatur. In faucibus aphthae ſaepe erumpunt.

Quanquam *Labia* areſcant, lingua ſubferveat, et in rimas fatiſcat, propter ſitim aeger raro querelam effundit.

Caput dolore obtuſo, vertigine, ſenſu frigoris, et tinnitu aurium, afficitur; quos mentis anxietas, delirium mite, cito ſubſequuntur.

Somnus interruptus, nunc inquietus et nunc comatoſus; plerique ſomno penitus expertes ſunt; dum alii ſopore gravi ita obruuntur,

untur, ut quamvis adſtantibus dormientium ſpeciem referant, ſeſe dormiſſe negent.

Pulſus parvus, mollis, debilis, plerumque frequens, nonnunquam naturali tardior evadit.

Vultus nunc langueſcit et palleſcit; nunc rubore roſeo ſuffunditur: Ardente capite, et ſudore e fronte emanente, reliqua *Cutis* areſcit: At ſudoribus frigidiuſculis nonnunquam aeger liqueſcit; dum aurium, narium, et membrorum extremitates frigeſcunt.

Omni *Motu* avertitur; manus et lingua extenſa tremunt; tanta eſt virium proſtratio, ut ſupinus recumbat, in ſtrato decidat, et, ſi caput pulvinari ſublevaretur, deficiente animo, et viribus fractis, collabatur.

Item *Reſpiratio* difficilis, praecordiorum oppreſſio, anxietas, et ſaepe conſtrictio circa ſeptum tranſverſum ſentiuntur.

Appetitu penitus deleto, nauſea et vomitus ſuperveniunt. Nunc alvus adſtricta, nunc diarrhoea colliquans aegrum laborantem premit.

Urina pleriſque pallet, multis limpida, cereviſiam vapidam pleriſque refert; ſedimentum

mentum nullum deponit; ſed nubeculae vel furfuri ſimile quiddam, in ea fluitare ſaepe videmus.

Finem verſus morbi, manus tremunt; nullum motum voluntarium efficere poteſt, at digitis aſſidue in ſtragulis floccos aeger carpit. Arteriarum pulſus adeo frequens, tremulus, et debilis eſt, ut numerus comprehendi nequeat: Nunc trepide currit, nunc tarde quaſi ſerpit, omnemque motum amittit. Spiritus luctuoſus, cum ſtrepitu et ſuſpirio trahitur, interdum intercipitur. Articulate loqui nequit aeger; vox faucibus haeret. Extremitates frigent, ungues pallent vel livent, ſphincteres reſolvuntur; foeces et urina, inſcio homine, elabuntur. Delirium in coma vertitur, vaſtis tremoribus et convulſionibus clauditur vita.

Criſi nunc diuturniore, nunc citiore, evaneſcit morbus; die nempe quarto decimo, decimo ſeptimo, vel vigeſimo, ad triceſimum vel quadrageſimum interdum protrahitur.

Huic

Huic febri, diverſa nomina, ex ſpecie aſ-ſumpta, quidam medici dedere; et propter ſigna ejus externa, *Nervoſam*, *Petechialem*, *Malignam*, *et Febrim flavam*, appellaverunt, et in diverſis generibus collocarunt. Sed quoniam in febre vulgo dicta nervoſa, cum protrahatur, ſymptomata putredinis inveniantur, et quoniam effluvia putrida typhum excitent, naturae malignae, ratione hujus veneni virulentiae, et methodus medendi his febribus fere eadem eſt; ergo has eſſe varietates, vel ſaltem ſpecies ejuſdem generis, concludimus.

Quoties *putredo* in typho magnopere valet, ſymptomata jam recenſita aggravantur, nauſea et vomitus aſperiores ſunt. Sitis inexplebilis, cum oris amaritudine, acidorumque adeſt appetentia: Quanquam ſanguis miſſus, ſuperficiem albam, tenuem, et coriaceam oſtendit; attamen craſſamentum a ſero vix ſeparatur, nec firme concreſcit; urina, foeces, aliaeque ſecretiones, ſanguine ſaepe tinguntur, graviterque olent; ſanguis ex variis partibus effunditur; petechiae, maculae, et vi-

bices

bices ſe oſtendunt, vel cuticula et oculi colorem flavum aſſumunt.

Febre jam decedente, gangraena partium, quibus decubuit aeger, ſaepe incidit; glandulaeque variae in ſuppurationem tendunt; paralyſis etiam, praeſertim extremas partes, nonnunquam invadit; amentia quoque per multos menſes, poſt emigrationem febris, aeger ſaepenumero ſtupet.

CHARACTER.

Morbus contagioſus; calor parum auctus; pulſus parvus, debilis, plerumque frequens; ſenſorii functiones plurimum turbatae, vires multum imminutae.

DIAGNOSIS.

Quanquam character et hiſtoria ſupra allata, ad typhum, ab omnibus aliis morbis febrilibus

febrilibus diſtinguendum ſufficiant; attamen, quia frigus haud raro inter cauſas typhi remotas eſt, et ſynocham ſaepe excitat; unus aut alter, vel uterque morbus, poteſt in eodem exiſtere aegroto, prout frigus aut contagio in febre inducenda praevaluit; et quoniam medendi methodus in priore, non ſolum ab ea diſcrepat, quae alteri convenit, ſed ei in plurimis plane repugnat; diſtinguere ergo, non ſolum inter haſce duas febres, ſed quatenus una vel altera in ſyſtemate praepollet, maximi momenti eſt: ne, dum medicamentis utimur ad unam arcendam, addamus vires alteri praeter ſpem inſuperabiles.

Synocha vere invadit, et frequentiſſime in plagis frigidis; plethoricis atque robuſtis fere incidit. Subito adoritur, haud magno languore, aut proſtratione appetitus vel virium praecedente, non ex contagione ſed frigore pervenit. Horrorem breviorem haud pernotabilem, ſed frequentius recurrentem, major ſubſequitur calor, ac faciei rubedo. In progreſſu morbi, remiſſiones vix obſervantur. Caput dolore

laborat

laborat acuto, qui ligatura circumducta mitigatur; vehemens est arteriarum temporalium pulsatio. Pulsus frequens, validus, durus, et plenior post venaesectionem devenit. Sanguis in vas profundum missus, et jam concretus, tunica alba operitur; separato sero et crassamento, hoc firmiter cohaeret.

Lingua et faucibus aridis et subfervidis, propter sitim aeger saepissime querelam effundit; appetentia cibi haud magnopere imminuitur; anorexiam raro nausea et vomitus comitantur; alvus adstricta est; urina rubra, nullum in initio sedimentum deponit. Duratio hujus brevis, et aliqua evacuatione notabili terminatur, ut haemorrhagio vel sudore, et tunc sedimentum urina deponit copiosum.

CAUSÆ REMOTÆ.

Typhum esse morbum contagiosum, ab optimis auctoribus et usu quotidiano mani-

festum est; a corpore hoc morbo laborante, *effluvia* quaedam exorta, corpori sano contagium transmittunt, similemque morbum impertiunt. Etsi haec effluvia, per aëra late dispersa, vim suam amittant; attamen iisdem in vestimenta similiaque spongiosa collectis, non tantum virus increscit, sed hoc modo longe lateque vehi et concitari possunt.

Effluvia corporum sanorum, diu retenta, in locis male perflatis, et in vestimenta condensata, hominibus etiam sanis subito objectis, typhum excitabunt; dum ipsi unde orta sunt, per vim consuetudinis, veneno intacti manent.

Eorum condensata effluvia, qui in locis angustis diu laborarunt morbis, quos paludum exhalationes, miasmata dictae, vulgo pariunt, scilicet, variis intermittentium speciebus, typhum quoque excitant. Effluvia etiam ex putridis animalium corporibus orta similes effectus edunt.

Haec effluvia primo sedantes exhibent effectus; quaedam, insultu primo, vim lethalem

lem ſtatim exercent; plerumque autem homines antea debilitatos afficiunt.

Calor vim nervoſam praecipue excitat; poſtquam vero corpus humanum calorem generandi poteſtatem acquiſiverit, neceſſe eſt, ut aëre perfruatur, multum infra temperiem ſanguinis, ſi modo ſanitas rite conſervanda ſit; multis quidem conſuetudo dedit, ut ſub aëre vivant prope temperiem ſanguinis; quum coelum mutantes tranſmigremus in aliud nativo vel aſſueto calidius, primo ſynochae; poſtea vero, fibris laxatis, debiles et typho obnoxii ſimus.

Aer humidus perſpirabilem materiam, a pulmonibus et corporis ſuperficie, minus integre quam ſiccior aufert. Quare ſyſtematis partes fluidae tardius mutantur; putredini pronae fiunt, debilitaſque invadit.

Atmoſphaerae mutatio, ex ſicca in humidam, ejus rarefactionem ſaepiſſime comitatur, et ab ejus ad attrahendam et humiditatem diſſolvendam incapacitate oritur; et proinde minus quam antea corpora terreſtria premit; hinc ſanguis cum minore momento

mento ad cor redit; ſtimulus a diſtentione oriens minuitur; et cor humorem circulantem minore impetu per partes ſyſtematis diverſas impellit. Quoniam vero circulatio ſanguinis eſt apprime ad energiam cerebri neceſſaria; ergo aëris rarefactio, humiditatem ejus comitans, languorem et debilitatem inducit, calore praeſertim adjuvante.

Effluvium immediate ex corporibus volitans ſanis haud agnoſcitur pro cauſa typhi, donec in quibuſdam corporibus ſpongioſis, nempe, pannis lanoſis, accumuletur; forte in hoc ſtatu permutationem aliquam ex fermentatione patitur; et prout calor et humiditas ad fermentationem promovendam perneceſſaria ſunt, fieri nequit quin ad effluviorum violentiam conferant; et proinde ad typhum malignum propagandum.

Frigoris in corpora inanimata effectus eſt, contractio vel coarctatio omnium earum partium, et gravitatis ſpecificae augmentatio; ſimiles edat effectus in ſolida animalium ſimplicia. Frigus ſolidis vivis mediocri gradu applicatum, viribus agit tonicis; actionem

nem quoque excitat vaſorum ejus cui admotum ſit partis, et ſanguinem illuc pleniore rivo trahit. Hinc febres a frigore ſolummodo orientes inflammatoriae ſunt; ſed, quando infectio comitatur, tum ſynocho originem dat. Frigus extremam vim habet ſedantem, praeſertim cum in ſyſtema antea debilitatum agat; primo languorem, tunc ſoporem producit, poſtremo autem, vis et cerebri energia penitus delentur; hinc, quamvis frigus modicum, cum primum applicetur, ſtimulat; tamen, in eo quod vim ſedantem et debilitantem poſſidet, ad typhum praediſponit; haud abſimili prorſus modo ac liquores ſpirituoſi et fermentati, ad exceſſum hauſti, ſtimulant prima vice, ſed ſubſequitur debilitas.

Typhus maximo bacchatus eſt furore, et maximas edidit ſtrages, regnante annonae *penuria*; nam fames, et deprimentia animum pathemata, his inducta, ſyſtema debile reddunt; quare ad infectionem recipiendam praediſponunt. Pauperes, tali diſcriminis

tempore,

tempore, haud munditiem colere possunt. Frigori quoque, humiditati, et omnibus quae frangere animos possunt, obnoxii sunt; et hi pervagantes cibi inveniendi gratia, contagionem secum advehunt propagantque.

Omne *ciborum* genus, quod stomachum debilitat, nempe liquores tenues et vapidi, aliquatenus totum debilitant systema; item omnes *evacuationes* immodicae, quales salivatio, diarrhoea, venaesectio.

PROPHYLAXIS.

Opinio vana, contagium longe lateque per atmosphaeram diffusum esse, in prophylaxi formanda, multis medicis impedimento fuit; quosdam homines in locis contagio vitiatis detinuit, dum alios salutem quaerere taediis et longis itineribus coegit. Attamen observationes recentiores perspicue demonstrant, contagium morborum malignorum, ex fomite vel nido, ad distantiam sexaginta pedum,

pedum, etiam per fenestram angustam, vix perflari; et homines intactos manere, in domiciliis suis, etsi nosocomia, quibus aegroti febribus malignis correpti tractantur, iisdem contigua sint, si modo communicatio abscindatur.

Putrida effluvia sedulo evitanda sunt; saltem haud antea iis nos offerre decet, quam gradatim assueti impetum eorum arcere possimus.

Procul amoveantur quaecunque systema debilitant; iis autem quae corroborant invigorantque uti oportet, scilicet cibo salubri et antiseptico, vino, exercitatione, balneo frigido, et aëre sicco.

Omnia fluida animalium, praesertim si circulatio languet, putredini proclivia sunt. Haec itaque perpetuo renovanda sunt, si modo corpus in sanissimo statu conservare velimus. At exercitatione non tantum tonus musculorum agentium augetur, sed totum systema eodem commodo potitur. Hinc exercitatione digestio promovetur, circulatio sanguinis excitatur, fluida putredini

prona

prona eliminantur ; falubria vero et nutrientia fanguinem intrant.

Tempeftate aeftiva balneo frigido uti, folidum fimplex adftringit; folidi vivi tonum augmentat; laxitati, irritabilitati, et debilitati obftat ; fordes abluit ; excernentium ad fuperficiem promovet actionem ; digeftionem adjuvat.

Mirandos vini generofi effectus, in fyftemate invigorando et corroborando, nemo ignorat.

Medici quidam celeberrimi putarunt, *fumum* ligni flagrantis, fulphuris, cafcarillae, et tabaci, multum valere in contagio eruendo: Loci infecti quoque temperiem adeo mutatam, ut vita animalium exiftere non poffit, in eodem contagio delendo plurimum poffe. Acetum cum camphora calefactum, et in cubiculo infecto collocatum, iidem bene laudarunt. Verifimile autem eft, exercitationem conftantem, et mediocrem vini vel fpirituum ufum, nitorem fummum, evitatis omnibus quae deprimunt animos, in prophylaxi maxime efficacia effe.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Medici, ratione causarum remotarum, in typho excitando, non contenti, modum operandi in calido stadio gignendo, investigare tentarunt; et in eo tentamine causam proximam indagare conati sunt.

Typhus, pariter ac intermittentes, stadium frigidum, calidum, et sudorificum habet, sed minus distincta; et, quamvis causa occasionalis posteriorum sit miasma palustre, prioris vero, humana effluvia putrida; ambo tamen naturaliter, et semper fere, in operationibus suis, ad debilitatem producendam tendunt. Et quoniam intermittens saepe suam mutat formam, et haud raro in remittentem vel continuam vertitur; colligimus ergo causam proximam in utrisque eandem esse. Hinc prima febrium symptomata debilitatem indicant in diversis functionibus, praesertim vitalibus. Vis cordis minuitur,

et actio arteriarum extremarum quasi suspenditur.

Haec symptomata oriuntur ex effectibus quos sedans venenum infectionis in cerebrum vel in systema nervosum operatur.

In oeconomia animali, hoc lege sancitur, quod, quando pars quaevis magnopere debilitatur, tum oritur reactio; haecce debilitas indirecti stimuli vicem praestat, et adeo fit nisus ad causam noxiam expellendam; si nullus adesset praeter debilitatem stimulus, actio cordis, et arteriarum, uno eodemque tempore restituerentur. Sed actio cordis supra vim solitam in stadio calido surgit, antequam minimorum redditur actio vasorum. Ideoque resistentia non potest non esse in arteriis extremis. Symptomata cutis aridae, contractionis et palloris corporis, in stadio frigido, dilucide demonstrant, eorum hanc contractionem esse spasmodicam, quae, cordi resistentiam et stimulum indirectum praebens, calorem febrilem excitat.

PROG-

PROGNOSIS.

Ex hac caufae proximae defcriptione infertur, duas effe in febribus poteftates, in fyftema agentes, quarum una extinctionem vitae minatur ; altera autem inimicae obftat caufae, et foras ejicere conatur.

Antiqui, et recentiorum multi, prognofin in febribus ducebant, comparationem inter vires naturae et morbi intendendo. Sed diftinctio inter falutaria et mortifera figna perdifficilis eft ; plerumque enim, in febribus, multa fymptomata occurrunt, de quorum natura et indole, num ad vitam mortemve tendunt, incertum eft ; facilius ergo prognofin faciemus, ex iis quae in febribus evidenter mortem portendunt.

Potentiae nocentes in typho funt, vel tales quae directe aut indirecte in fyftema nervofum agunt, et debilitatem mortemque inducunt, vel quae in fanguinem inductae putredinem in eo generant, quae tandem ut venenum fedans agit ; in typho ergo, prognofis

nosis ducenda est ex iis symptomatibus quae vel debilitatem vel putredinem exprimunt.

Symptomata Debilitatem exprimentia.

Deficientia virium solitarum; in tergo decubitus; cruribus extensis, delapsus in lecto; tremor manuum, subsultus tendinum, et convulsiones. Insensibilitas stimulorum solitorum, nempe lucis et soni; surditas (sed hoc mediocri gradu symptoma salutare est.) Oculus fixus, visus duplex et indistincta ostendunt musculos tam debiles esse, ut neque oculos movere possint, neque ambos ad idem objectum convertere valeant; quocirca vice unius ex eodem duo percipiuntur objecta. Caecitas, coma, pervigilium, pathemata animum deprimentia; pulsus debilis, irregularis, vel tardus; frigiditas, contractio partium extremarum; deliquium ex minimo motu, vel ex erecta corporis positione oriens; respiratio difficilis et laboriosa, sine affectione thoracis locali. Vox debilis

aut

aut penitus amiſſa; magna nauſea, vomitus, urina et foeces inſcie elabentes; viſciditas ſecretionum extrema, a membrana praeſertim Schneideri; ſecretiones impeditae, et evacuationes colliquantes.

Symptomata Putredinem exprimentia.

Anorexia, *nauſea*, *et vomitus*, eas omnes potentias quae debilitatem inducunt comitantur. In intermittentibus, ex conſenſu ventriculi extremis cum arteriis debilitatis, in typho ex tali conſenſu, vel putrida materia ſtomacho retenta, et ſtimulum indirectum praebente, exoriuntur.

Sitis immodica putredinem indicat, quia ſubſtantiae putridae in ventriculum receptae ſitim generant. Diluentium, acidorumque appetitus, ut putredo diſſipetur, vel ei occurratur, ſapientiam in oeconomia naturali plane oſtendit.

Sanguis putreſcens texturam amittit ſuam; quando igitur ſanguis e vena miſſus haud firme coagulat, pro ſymptomate putredinis in fluidis circulantibus ducimus. In talibus caſi-

casibus solida deveniunt praeter modum laxa; globuli rubri aliquatenus in sero dissolvuntur; et proinde facile inveniunt viam, per tenues etiam membranas, vel partes texturam minus firmam possidentes, ut per membranam Schneideri, et sese urina atque aliis secretionibus persaepe admiscent. Quando sanguis, sic dissolutus, in cellulas effunditur cuticulae, speciem macularum rubri lividi, aut fusci coloris, praebet; hae *petechiae* vulgo dictae sunt. Quando, sub tempus hujus effusionis, et sanguine multum dissoluto, rumpuntur cellulae cutis, sanguinis effusiones *macularum* speciem induunt magnarum, vel linearum longarum *vibices* appellatarum. Quando serum sanguinis putrescit, fulvo gaudet colore; talem speciem quoque fert missum ab aegro morbo putrido laboranti, ut in febre flava Indiae Occidentalis. Exinde inferre possumus, hunc colorem flavum a putridi seri effusione oriri.

Foecum in canali alimentari acrimonia semper est in earum putredinis ratione; proinde, cum longum tempus in ultimo fermen-

mentationis ſtadio moratae ſunt, inteſtina ſtimulant, et diarrhoeam producunt. Sed, in hac febre, diarrhoea haud ſemper putredini foecum proportionalis. Nam, ſi corporis ſuperficies magnam a frigore patitur conſtrictionem, tum materia perſpirabilis vadit per inteſtina, et diarrhoea exinde oritur; ſed, ſi aeger mediocriter ſit calidus, vel ſudore colliqueſcat, alvus ſaepe adſtringitur.

In tali diſſoluta ſanguinis craſi, fieri non poteſt, quin urina magnopere afficiatur; eſt colore rutilo, turbida, et haud raro ſanguine commixta.

Harum atque aliarum foetor excretionum aliud dat putredinis indicium; qui circa aegrum maxime verſantur, ex eo quod tali foetori aſſueti, vel animo parum attento ſint, non ſentiunt, donec ſummam fere attigerit hujus fermentationis gradum; attamen qui rarius huic expoſiti ſunt, quanquam aſſueti in talibus dare operam caſibus, facile percipiunt. Omnia haec debilitatis et putredinis ſymptomata raro aut nunquam ſimul occurrunt, in uno eodemque aegro; quapropter neceſ-

ſitas

ſitas nos cogit, ad prognoſin ex nonnullis, ſaepe ex paucis, ſtruendam.

Haec contagia adeo potentia ſint, ut ſtatim necent; ſed frequentiſſime debilitatem inducunt; quae adeo a paroxyſmis febrilibus augetur, ut ſyſtema penitus collabatur: Nonnunquam fermentum putridum maſſae circulanti inducunt, quod tandem ut venenum agit; vel globuli rubri in ſero ſanguinis aliquatenus diſſolvantur, ut in telam cellulosam facile effundantur, et illic ulteriori putredini ſubjiciantur; et haud aliter ac gangraena aut ſphacelus necent.

In prognoſi in typho facienda, magno nobis erit adjumento dierum criticarum, primo ab Hippocrate notatarum, et poſtea a multis doctis atque expertiſſimis medicis ſtabilitarum, obſervantia.

Ex deſcriptione febris jam tradita et perpenſa, atque ex mutationibus periodicis in ſyſtemate notatis, infertur, aliquod ineſſe vel cauſae inimicae natura, vel in ipſa corporis conſtitutione, quod ſolutionem febris, uno, potius quam alio tempore, efficit. Intermittentes,

mittentes, vel quotidianae, vel tertianae, vel quartanae ſunt. Sic in typho non ſolum adſunt exacerbationes quotidianae, ſed a primo die ad undecimum uſque, tendere percipimus ad criſin, pari modo ac in tertianis ad periodos; ab undecimo ad vigeſimum, quartanae periodum referre obſervatum eſt. Poſt hoc tempus, criſes periodicae regulares haud notatae ſunt.

METHODUS MEDENDI.

Indicationes ſunt; 1mo, A ſuperficie ſpaſmum removere.

2do, Tonum ſyſtematis reſtaurare, et putredini obviam ire.

Indicationi primae reſpondent, *a.* Venaeſectio. *b.* Diluentia. *c.* Sales neutri. *d.* Emetica. *e.* Sudorifica. *f.* Epiſpaſtica. *g.* Fomentationes. *h.* Opium.

a. Inter antiſpaſmodica *venaeſectio* maxime celebratur. Sed tanta relaxatio debilitaſque ſequuntur, ut in typho puro gravia

inde mala oriantur. Si frigus tantum praevaluit in morbo excitando, ut ſymptomata ſynochae oriantur, ſi aeger ſit juvenis, firmus, et pleno habitu, ſanguinis miſſio ſtatim omnia levabit. Caute vero uti oportet, ne, in ſpaſmo ſolvendo, non tantum nos fallat, ſed cum cauſis excitantibus conſpiret ad morbum confirmandum. Si vero affluxus ad quandam partem ſanguinem mittere hortatur, per cucurbitulas cum ſcarificatione, vel hirudines admotas, melius fit. In delirio phrenitico, capiti proſpere admoveri poſſunt; ubi autem delirio ſe jungit pulſus debilis et depreſſus, eadem nil valent.

b. Diluentia. Aqua majorem partem maſſae circulantis format; humoribus omnibus excretis baſin praebet; ſanguinem fluidum reddit; per exhalantia facillime tranſit; ubi autem quantitate deficit, parte tenuiore tranſmiſſa, propter viſciditatem et attractionem inter eam et partem craſſiorem, reliquae difficillime tranſeunt. Aquoſa itaque parte tunc non ſatis diſtendente, vaſa extrema conſtrictionem ſpaſmodicam retinent;

nent; aquosae vero partes renovatae vasa extrema distendunt, diaphoresin promovent, sitim irritantem adimunt. Putrida quoque materies a primis viis et a sanguine ejicitur.

c. Etsi fabricae animalis variae partes a nervis ita connectuntur, ut a nullo medicamento una pars multum affici possit, quin omnes effectum similem quodammodo sentiant; pleraque tamen ad unam partem, potius quam ad aliam, tendunt. *Sales neutri* effectum suum praecipue ostendunt in renibus, et exhalantibus in superficie; horum actionem renovant, spasmum solvunt; et, per consensum stomacho corroborato, nausea et vomitus evanescunt. Per virtutem quoque antisepticam, in febribus multum valere possunt. Formati ex alkali et acido vegetabili jucundiores sunt, nec minus efficaces.

d. In febribus curandis, praesertim typho, *emetica* adhibere jamdiu mos fuit. Primo quidem tali debilitate stomachum afficiunt, ut eundem indirecte stimulent, et ad validas contractiones excitent; a quibus non tantum

stoma-

ſtomacho, ſed etiam inteſtinis retenta ejiciuntur; ductus biliaris et pancreaticus ea ratione emulgentur, reliqua viſcera agitantur, et expectoratio augetur. Actione fibrarum muſcularium ſtomachi, necnon inde cordis et arteriarum majorum aucta, ſanguis majore vi in partes extremas impellitur; et, propter conſenſum inter fibras muſculares ſtomachi et vaſorum ſuperficiei, horum actio reſtauratur et ſpaſmus amovetur.

Emetica tempore acceſſus adhibenda ſunt, ut cum viribus medicatricibus naturae concurrant ad materiem noxiam ejiciendam. Datis emeticis paulo ante paroxyſmum in intermittentibus, vel exacerbationem in continuis, priorum paroxyſmum, poſteriorum acceſſum, prohiberi inventum eſt.

Febribus jam productis, emetica ſaepe uſui ſunt, ut morbus vel penitus expellatur vel ſaltem levetur. Sed, quoniam emetica frequenter adhibita debilitatem adferunt, ideoque ſpaſmum adaugent, doſes vero nauſeoſae pleno vomitu diutius agunt; tales ergo ſaepe praeferendae ſunt.

Quum

Quum nil niſi evacuatio ſtomachi a vomitu deſideretur, vel magna debilitas adſit, ipecacuanha potior eſt. Quum vero nauſea diu protracta opus ſit, antimoniale datur, ut pulvis Jacobi, calx antimonii nitrata; ſed, inter omnia antimonialia, tartarum emeticum locum primum tenet, tam facile ſolvitur, tam certe agit, tam prompte exhiberi poteſt. Hoc etiam uſque ad nauſeam exhibitum alvum ſolvit; praeter tartarum emeticum igitur, et clyſmata, vix aliis laxantibus opus eſt in hoc morbo.

e. Medicamenta *ſudorem moventia* actionem habent in febribus, ſpaſmo ſuperficiei directe oppoſitam; febres malignas quandoque levarunt, vel etiam profligarunt. Sed uſus minime idoneus in cauſa fuit, quare multa iis objicerentur, ſcilicet, quum nimis ſtimulantia admiſſa, vel *aliter*, non ſatis diu protracta fuiſſent; quae minime ſtimulant et calefaciunt, ut ex opio, ipecacuanha, et tartari vitriolati larga parte commixtis, nempe, pulv. Doveri pharmacop. Edinenſis, vel

potius

potius tartari emetici quantum excitet nauseam, opii modicae dosi adjunctum.

f. Epispastica parti cui admoventur plane stimulum dant, qui saepe totum systema pervadit; sero autem effuso et emplastro ablato, plerumque evanescit. Effusio facta, vasa partis necnon profundiora laxando, in affectionibus localibus commodissima est.

Praecipue vero agunt solvendo spasmum; hinc usum habent in colica, et asthmate, etsi procul a parte affecta admoveantur. Ab hac virtute et consensu inter unam partem cutis et omnes reliquas, spasmus ab una parte ablatus, omnes quoque relinquit.

A systemate affecto conjicere licet, partem cantharidum absorptam similes effectus exercere, ac si per os assumpta fuisset; itaque epispastica, urinam et sudorem moventia, typho, etiam propter hos effectus, utilia esse.

Disputatum est inter auctores, ingenio et peritia aeque insignes, quo tempore epispastica utilissime admoveantur. Quidam, ut Lindus et Pringelius, initio imposita commendant, et optimos effectus se observasse

pu-

putant, praesertim contagio non perquam exitioso; verumtamen Doctor Donaldus Monro a talibus applicationibus tantum boni observare haud potuit.

Notatum est, epispastica, febribus incipientibus, vim reactionis augere; itaque tutius est ea differre, donec a dubitatione de vi eorum stimulante liberemur. Si quando autem pulsus debilis fiat, et aeger langueat, ullo morbi stadio admoveri possunt; a stimulo nil timendum est; corroborant enim, et in superficiem humores impellunt.

In affectibus localibus parti dolenti, quantum fieri potest, vicinae imponi debent; ubi vero spasmus superficiei solummodo considerandus est, parvi refert cui parti admoventur; si stimulo ingrata fiant, tempore remissionis matutinae capiti applicare convenit; cruribus autem, si stranguria evitanda est.

Huic malo facillime occurritur, emplastrum, quamprimum cuticula fuerit orta, amovendo; aegro interea bibente potiones diluentes, mucilagine abundantes. Idem incommodum camphora quoque antevertere dicitur;

dicitur; aut interne aſſumpta, vel externe oſſi pubis formula linimenti admota.

g. *Fomentationes*, et *calida lavatio*, prae aliis remediis quam minimum periculi ſecum afferunt, niſi nimis calida ſint; nam ſupra temperiem ſanguinis humani raro admitti debent. Antiſpaſmodicam vim certe exercent, partem cui admoventur laxant, et leniter ſtimulant. Simili modo totum ſyſtema quodammodo afficiunt, ſomnum quietum adferunt, irritationem ſedant; ſecretionem cuticularem impeditam reſtituunt, et ſudores colliquantes reprimunt; leni ſtimulo frigidos calefaciunt, deſperantes exhilarant; adeo corroborant, ut poſtea aegroti facile toro reſidere poſſint, qui antea ab eodem ſublati animi deliquio affecti erant. Quidam medici totum corpus immergere ſuaſerunt; ſed, quoniam aegrotus agitationem tam aegre fert, et multa propter incommoda, haec methodus fere negligitur; pediluvium et fomentatio crurum pedumque praeferuntur. Poſterior potior eſt, facile enim adhibetur, et nec inquietudinem nec motum aegroti requirit. Niſi

ſi vero in ſpatium horae protracta ſit, nil valet. Obſervatio facile docebit, utrum aeger bene ferat, et commoda optata inde trahat; aliter enim omittenda eſt.

b. Opium inter antiſpaſmodica eminet, et, ni ſtimulo praeditum ſit, multum in febribus prodeſſet. Propter actionem incertam, in febribus continuis curandis raro adhibetur; ſaepe vero, ut ſymptomata quaedam leventur vel corrigantur, ut etiam in curatione intermittentium, quibus, poſt aptas evacuationes, incipiente frigore vel calore, utiliter dari poteſt. Ex tali hujus uſu ſymptomata totius paroxyſmi levantur, duratio contrahitur, humoribus ad ſummam cutem pulſis, ſudore leni univerſoque inducto.

Ut opium in typho utile fiat, quae ſequuntur notanda ſunt. Parca doſi ſtimulat et exhilarat; larga vero ſedat et ſpaſmum ſolvit. Ergo, febre jam protracta, et animis multum depreſſis, adhiberi poteſt; Pringelius etiam initio poſt emetica feliciter dedit. Quum irritabilitas et convulſiones a debilitate oriantur, opium, propter vires ſedantes,

et antiſpaſmodicas, praecipue indicatur. Diarrhoeis pertinacibus et colliquantibus, quae ſaepe hanc febrim comitantur, apte reſpondet.

Camphora a quibuſdam medicis inſignibus celebrata eſt; dicunt enim ſudorem elicere, ſpaſmum ſolvere, et ſomnum ſuadere in febribus ubi opium expectationem fefellerat; alii autem de utilitate ejuſdem opinionem ancipitem tenent. Anne vires ejus antiſepticae utilem reddant, ubi putredo invaſit?

Moſchus, in tendinum ſubſultu, ſingultu, ſtomachi contractionibus, et aliis ſpaſmodicis affectibus commendatur. Pringelius, poſt quartum vel quintum diem hujus febris, dedit, doſi granorum viginti quinque; alvum ducere, ſudorem movere dicit; febrim vero ad diem decimum ſeptimum protractam eſſe confitetur.

IN-

INDICATIO SECUNDA,

Debilitati et putredini obviam ire.

Huic indicationi reſpondent, *a.* Frigus; *b.* Cortex Peruvianus; *c.* Vinum.

a. Omnia corpora cui admovetur *Frigus* condenſat; fermentationi directe occurrit; ergo antiſeptica vi gaudet; ſtimulantibus, ſedantibus, et tonicis viribus corpus vivum afficit; itaque in typho jam protracto apte adhibetur, et remedium ſe praebet maximi momenti.

Quoniam frigus inter cauſas febrium excitantes principem locum tenet, debilitatem inducendo, et ſuperficiem adſtringendo, in nulla febre adhiberi debet, quum horror vel tremor adſint; calore vero febrili aucto, apte admovetur; aucta enim poteſtate calorem generante in febribus, frigore opus eſt intenſiore, quam quod ſanitati accommodatum invenimus, ut remedium afferat.

Propter virtutem antiſepticam, aër frigidus his febribus adhiberi debet, ut ſyſtema putredini

putredini proclive emendet, effluvia a corpore emiſſa minus maligna reddat. Tonum ſolidi ſimplicis augendo, debilitati, et inde ortis laxitati et putredini, occurrit; eodem conſilio non tantum aër frigidus, ſed balneum frigidum tentatum eſt.

Potio frigida propoſitis ſub aëre frigido jam memoratis reſpondet; porro in ſtomachum deſcendens ſtimulat, et ſpaſmum auſert ab exhalantibus; unde humores copioſius expellere ea cogit, adeoque ſitim compeſcit. Tonum inteſtinorum, totiuſque fere ſyſtematis auget; actione cordis aucta, pulſus plenior et fortior fit, perſpiratio lenis inducitur; putredo viarum primarum reprimitur. Quum vero inflammatio adſit, vitanda eſt. Quantitas aegri deſiderio permittenda, et id genus, quo ſanus praeſertim utebatur, plerumque commodiſſime eligitur.

b. Cortex Peruvianus adſtringente, tonica, ſtimulante, et antiſeptica virtute abundat. In curatione intermittentium, tonicas vires praecipue exercet in nervos ſtomachi; unde totum ſyſtema, praeſertim vaſa extrema afficit;

cit; adeoque debilitati occurrit, qua ſpaſmus et actio aucta fundamentum habent. Etſi contra putredinem et debilitatem, ut in typho, recte detur, ubi tamen diatheſis phlogiſtica praevalet, plerumque nocebit; incipiente ergo febre raro adhiberi debet; ſi autem remiſſio aperta ſit, ut in initio typhi ſaepe accidit, dare ſaluberrimum eſt; corroborat, exhilarat, reditum anticipat. His caſibus ſolida forma datus, et larga quantitate, ſi ferat aeger, et paulo ante acceſſionem, valentior eſt.

Quum primum ſymptomata putredinis evidenter appareant, remedium efficaciſſimum eſt; tunc fibris muſcularibus tonum reſtituit, putredini maſſae communis obſtat, animos erigit, et delirio ablato ſomnum invitat; his caſibus tali quantitate dandus eſt, ut nec multum ſtimulet, nec calorem febrilem magnopere adaugeat.

c. *Vinum*, inter omnia medicamenta quae animos erigunt optimum, et quae ſtimulant tutiſſimum eſt. Mentem exhilarat, dolorem et irritationem aufert; larga quantitate inſigni modo ſedat; ſed, propter virtutes ſtimulantes,

lantes, refocillantes, et antisepticas, praesertim adhibetur in typho.

Spiritus ardentes easdem proprietates majori gradu habent; sed etiam aqua diluti tantum stimuli retinent, ut cum vino comparari non possint. Propter vires eorum antisepticas, aqua diluti, deficiente vino, adhiberi debent; quaedam vina spiritu ardente commixta, purioribus, scilicet Gallico rubro, et Rhenano, inferiora sunt.

Quoniam vinum stimulat, initio febrium parce dari oportet; quum vero potestates sedantes et septicae praevaleant, tutissime et commodissime exhibetur. Tunc a stupore, anxietate, et delirio maniaco excitat; tendinum subsultum dimovet, irritationem mitigat, et somnum suadet.

Vino adhibito, observandum est, quomodo pulsum et systema nervosum afficit; si pulsus nimis tardus frequentior, vel nimis frequens tardior fiat, deliriumve demulceatur, adhibere bonum est; si autem hi felices eventus non sequantur, e contrario delirium

augeatur,

augeatur, et oculi feroces appareant, omitti debet.

Quantitas idonea a fymptomatibus et aegri confuetudine dijudicanda eft. Multae librae quotidie datae funt, et cum eventu prorfus felici, plerumque tutiffimum et jucundiffimum aegro videtur aqua dilutum; ubi autem larga quantitate opus eft, dilutio vix admittenda eft. Quum fymptomata ufum ejus indicent, alica vel panada commiftum dari debet.

Ut putredini et debilitati occurratur, ulterius obfervare licet, non tantum conclave puro frigidoque aëre perflari debere, fed omne quod putrida effluvia retinere poteft, fedulo amovendum effe. Lintea lecti et corporis faepe mutanda funt; jucunda aromatica quaedam per cubiculum difpergere convenit.

Gangraena partis cujuflibet in hoc morbo perraro periculofa eft: Si vero ex ea difcrimen appareat, ad vinum et corticem perfugimus. Paralyfi extremarum partium obviam itur frictione; et, fi alvus adftricta fit, laxantibus, quae ftimulantem et antifepticam

cam vim ferunt. Victu plerumque acescente, exercitatione in aëre sereno et temperato, cortice Peruviano, atque usu vini modico, curatio perficitur.

FINIS.